

No. 165. Nach 1472.

Klagschrift des Praeceptors des Antoniterhauses zu Lichtenburg gegen den Pleban Mag. Lucas Haynis zu Pirna und den Pleban zu Mohorn wegen rechtswidrigen Verfahrens gegen ausgeschickte Brüder des Hauses.

Coram vobis venerando patre domino Johanne Falkenhaynn praeposito canonicorum regularium monasterii s. Thomae apostoli in Lipczk ordinis b. Augustini Mersburgensis diocesis iudice subconservatore et subexecutore a venerabili viro domino Johanne de Grole decano Valentinensi ac sanctae metropolitanae Lugdunensis ecclesiae canonico iudice conservatore et executore principali privilegiorum iuriumque libertatum et bonorum concessorum et pertinentium reverendo in Christo patri domino abbati pro tempore existenti necnon venerabilibus et religiosis viris conventus monasterii s. Anthonii ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis s. Augustini Vienensis diocesis praepceptoribusque prioribus praepositis rectoribus ceterisque fratribus domibus praepceptoris hospitalibus capellis oratoriis et membris dictorum monasterii et ordinis per universum orbem consistentibus unacum certis aliis suis in hac parte collegis cum illa clausula „Quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios“ 2c. a sede apostolica specialiter deputato subdeputato procurator et eo nomine venerabilis et religiosi viri domini Johannis Bender praepceptoris domus s. Anthonii in Lichtenbergk extra muros opidi Prettyn Mißnensis diocesis a monasterio s. Anthonii Vienensis diocesis dependentis contra et adversus venerabilem virum magistrum Lucam Haynis plebanum in Pynis et quendam N. plebanum in Mohorn^{a)} Mißnensis diocesis ac aliam quamcunque personam pro ipsis seu altero ipsorum in iudicio legitime intervenientem proponit in iure conquerendo allegat atque dicit, quod licet domus sive praepceptoris s. Anthonii in Lichtenbergk Mißnensis diocesis a monasterio s. Anthonii Vienensis diocesis dependeat sitque reverendo in Christo patri abbati pro tempore existenti necnon venerabilibus et religiosis viris conventus monasterii s. Anthonii Vienensis diocesis ac omnibus et singulis domibus et praepceptoris ab ipso monasterio s. Anthonii Vienensis diocesis dependentibus a sancta sede specialiter indultum, quatenus legatos fratres ac nuntios suos pro quaestu faciendo et elemosinis recipiendis cum reliquiis ac negotio s. Anthonii per universum orbem transmittere possint quodque etiam reverendissimi et reverendi in Christo patres patriarchae archiepiscopi episcopi aliique locorum ordinarii et ecclesiarum praelati fratres et nuntios praedictos ad eorum civitates dioceses provincias et alia loca pro huiusmodi pio quaestu faciendo seu votis et elemosinis recipiendis accedentes benigne recipere et a subditis eorum recipi facere atque ipsos fratres et nuntios per suas efficaces litteras dictis fratribus et nuntiis sine qualibet exactione concedendas commendare teneantur, et quamvis etiam patriarchae archiepiscopi episcopi abbates praelati et ecclesiarum rectores et aliae ecclesiasticae personae seculares et quorumcunque ordinum regulares exemptae et non exemptae et quavis etiam maiori dignitate praeditae in virtute sanctae obedientiae ac intuitu privilegiorum ac reverentia sedis apostolicae eosdem fratres nuntios et quaestores ad praedicandum et exponendum necessitates hospitalis s. Anthonii infirmorum membrorumque et locorum eiusdem ordinis, privilegia quoque et indulgentias a Romanis pontificibus ipsis concessas intimandum, confraternitates suas faciendum et ad percipiendum vota elemosinas et legata huiusmodi in eorum ecclesiis civitatibus castellis fortaliciis villis villagiis diocesibus et locis etiam hostiatim si voluerint nolis sonantibus libere permittere benigneque ac caritative recipere et pertractare ac per alios suos subditos pertractari facere teneantur et perpetuo sint astricti, quodque etiam presbyteri curati et non curati ad divina officia non praesumant accedere quousque verbum dei et miracula s. Anthonii et necessitates hospitalis s. Anthonii fuerint diligenter declarata et impleta, et licet etiam omnes et singuli contrafacientes aut fratres nuntios et quaestores

a) Mohorn, Eph. Freiberg.